

1704-1708. Nicolaus Lukowski, prof. Witów. 1708-28. Wojciech (Adalbertus) Zdziarski, prof. Hebdów. 1728. † 8. aug. 1728 (Necr. Strzeln. 32). Ludovicus Wielowiejski, prof. Hebdów. 1728-1733, † 16. mai 1733 (Necr. Strzeln. 22). Constantinus de Rehag, prof. Witów., 1733-62. Waclaw (Wenceslaus) Tworkowski, prof. Hebdów., 1762-95. Melchior Wyzykowski, prof. Witów. 1795-1819.

g) Saec. XIX et XX. Bernardus Lenartowicz, prof. Hebdów. 1819-1834. Norbertus Nicolaus Wolski, prof. Witów. 1834-44, † 15. aug. 1844, ultimus praepositus Polonus ex Ordine. P. Joannes Podgórski, C. SS. R., socius S. Clementis Mariae Hofbauer, 1844-47. Eugenius Carolus Tupy, can. Strahoviensis, celeber poëta pseudonyme Boleslaus Jablonski, 1847-81, † 27. febr. 1881, sepultus Pragae in coemeterio Wyssehradensi 13. Martii (Goovaerts, Ecrivains, II, 258/9). Laurentius Oprzedek (1881-1896), presbyter saecularis dioec. Cracov., antea parochus in Liszki. Romualdus Szwarcz, presbyter saec. ejusdem dioec., par. in Ruszcza, S. Pontificis praelatus et canonicus honor. dioec. Kaliszensis, 1896-1909. Stanislaus Pilchowski ab a. 1910, presb. saec. dioec. Cracov., antea parochus in Niegowic.

Kirchberg a. d. Wild

A. ZAK.

* * *

DE ABBATIA FRANCAVILLIENSIS IN HUNGARIA

Abbatia S. Crucis Francavillae in Marchia, antiquitus Heremus dicta, quaerenda est in comitatu ac olim dioecesi Syrmienti in regno Slavoniae (hodie Iugoslaviae), et quidem inter dexteram Danubii et sinistram Savae ripam, ubi montana Fruskagora seu Vrdnik se extollunt : comitatus ipse Syrmientis penes Danubium se extendit, et usque ad a. 1918 pars regni Hungariae erat.

In volumine nuperrime edito grandissimi operis sui, quod res ecclesiae catholicae in Hungaria respicit, historiam abbatiarum O. S. B. extinctarum refert Pancratiŭs Sörös.

In praefatione auctor affirmat, se nullum descriptorum monasteriorum a filiis O. S. Benedicti extractum vindicasse, nisi argumentis tum externis tum internis ad id impulsus. Nimirum quod tali modo procedendo quaedam monasteria, a scriptoribus rerum gestarum Benedictinis attributa, in hoc volumine locum non invenerunt. Ve-

rum ratione argumentorum interiorum catalogo huic insertum est monasterium *S. Crucis*, abbatia scilicet *Francavillensis*, in archidiaconatu Syrmienti sita, quae pertinet ad dioecesim Colocensem, et quae postea nomine *Nagyolasz* appellabatur.

Indicium characterem Benedictinum huius abbatiae supra omne dubium demonstrans non existit. Auctor praedicti voluminis sic rationatur : « Cum res monasterii Benedictini de *Garáb* (in *Marchia*) ad meliorem ordinem reducerentur, capitulumque ordinis anno 1366 Conradum, usurpatorem pravorum morum ejecisset, plures commemorabantur ejus vitam pravam testantes, quos inter et *Ioannes abbas de Francavilla*. Exinde vero, quod casu etiam testimonio jurejurando dando opus fuisset, talisque res turpissima vix coram praelato alterius Ordinis pertractata esset, porro quod Ioannes supradictus simpliciter inter ceteros abbates enumeratur, quin habita ejus ad alium ordinem relatio afferetur, sequitur, Ioannem quoque regularem *S. Benedicti* professum fuisse » (1).

Deinde auctor conjicit, abbatiam hanc ante sextum decennium saeculi XII. vix extractam fuisse, « quia locus iste *Geisa II.* regnante fugitivis *Mediolanensibus* praebuit sedes ».

Constat quidem, *Francavillam* iam tempore primae *Cruciadae* (1099) extitisse, multaque propter pugnas cum *Byzantinis* perperam esse, nihilominus *D. Sörös* assertum factis nititur, tempore scilicet *Mediolani* exitium subsequente, i. e. post annum 1162, seu secundum *Ladislauum Erdélyi* post annum 1164 huc *Italos* se contulisse (2).

Verum abbatiam hanc non a *Benedictinis*, sed a *canonicis Praemonstratensibus* fundatam duabus ex bullis pontificiis elucet, et omnimodo ante annum 1179, verosimiliter post a. 1171 extracta est.

Abbatia enim *Francavallensis* ex abbatia *Regiae Vallis* (3), *O. Praem.* fundata est, ubi hoc bullae *Alexandri III.* (1179) et *Lucii III.* (1182) indicant, quae bona et privilegia ad *Regiam Vallem* pertinentia enumerant et confirmant (4).

Bulla *Alexandri III.*, data *Velletri VI. idus decembris* (8. dec.)

(1) *Pannenhalmi Rendtörténet*, XII, B., 431.

(2) PAULER, *A magyar nemzet története az Arpádházi királyok alatt*, I, 192 et 343 ; *Erdélyi*, *Arpádkor*, 145.

(3) Abbatia *S. Mariae* vulgo *Riéval*, filia *Praemonstrati*, fund. 1123 a *Stephano comite de Bar* et familia ejus, in dioecesi olim *Tulensi* (nunc *Nancy*).

(4) Utraque bulla incipit : « *Religiosam vitam eligentibus* » et *Waltero*, abbati *Regiae Vallis*, ejusque fratribus data est, qui ab utroque pontifice litteras confirmationis postulavit.

1179 (5), enumerat inter bona abbatae post locum Grabensis ecclesiae in Hungaria « locum S. Crucis in Marcia, qui antiquitus Heremus vocabatur, cum universis pertinentiis suis ».

Bulla Lucii III., data Laterani (6) IV. Kal. febr. a 1181, anno pont 1 (29. jan. 1182) repetit confirmationem loci « de Gravia » in Hongaria, dein « locum sanctae Crucis in Marchia juxta Francavillam, quae antiquitus Heremus vocabatur, cum omnibus pertinentiis suis, terris, vineis et molendinis » (7).

Annales Praem. de rebus hujus abbatae temporibus subsequentibus silent. In antiquo indice (Lairuelz, *Optica regularium*. Mussiponti, 1603, pag. 417) circariae Hungaricae, ubi multa locorum nomina erronee impressa sunt, abbatia nostra deest. Nominatur ibi (pag. 418) quidem S. Crux, filia de Thours (recte Turóc) coenobium in diocoesi Váciensi, Geidel (filia Ocsae, perperam Ocrae), Zemlin ac Maegedlin, omnia tria coenobia in Colocensi diocoesi, quae autem omnia incerta sunt.

Quos solum autem abhorret, caput scilicet monasterii apud Praemonstratenses Hungaros vix usitato titulo abbatis praeditum esse, et quidem constanter, inde a primis temporibus non caret exemplo. Documentis quibusdam ejusdem temporis *abbas* vocatur hinc inde praepositus Türjensis (8), Majkensis (9), Hatvaniensis (10) et de Ocsa (11).

Argumenta, quibus abbatiam Francavillensem in Hungaria sitam esse (et non de Francqueville in Gallia, dep. Aisne, cant. Sains cogitandum esse) sine dubio demonstratur, haec sunt :

1) Pars Hungariae meridionalis, postea comitatus Syrmienensis toto XII. saeculo *Marchia* nominabatur. Ita exhibet illam tabula geographica, historiae Hungaricae novissime editae adjuncta exeuntis saeculi XII. (12). Eodem modo commemorat Ladislaus Erdélyi ineunte saeculo XII. (13), hoc esse nomen archidiaconatus episco-

(5) JAFFE-LÖWENFELD, 2, II. 352, nr. 13494, ex C. L. Hugo, *Ord. Praem. Annalibus*, T. II. col. CCCCIX-XII.

(6) *Ibidem*, II, 436, nr. 14580 ex C.L. Hugo, *l. c.*, col. CCCCXIV. Cfr. Migne, 201, pag 1107, nr. 33.

(7) Sequitur : « Ecclesiam sancti Stephani Regis cum omnibus pertinentiis suis », absque dubio Bozók in Hungaria.

(8) H. O. VII. 81 (1260).

(9) H. O. VI. 67 (1252).

(10) PRAY, *Hier. Eccl.*, L. 205.

(11) Orzágos Scr. DI. 14.904 (1456).

(12) HOMAN Bálint, *Magyar történet*, I, 368.

(13) ERDELYI László, *Arpádkor*, 128.

palis Quinqueecclesiensis, qui hanc regionem in se continet, scilicet archidiaconatum de Marchia (14). Postremo ita appellatur in tabulis exactarum decimarum papalium ab initio saeculi XIV. (15).

2) Francavilla in lingua hungarica dicitur *Nagyolaszi*. Illam chronicon Hierosolymitanum Alberti Aquensis, jam circa a. 1150 compositum, villam advenarum Francorum nominat. Ergo incolae ejus veteres, quibus postea Mediolano profugi immiscebant, Francogalli fuerunt. Qui in lingua medii aevi latine Francogenae dicuntur (16).

3) Patroni abbatae rant usque ad saeculum XIV. familia Atinay, dein Maróthy; utraque est vera gens ex parte meridionali Hungariae vertenti et possessi (17).

4) Bona abbatae in hac regione sunt in comitatibus Syrmienti, Solt et in Valkoiensi orientem versus a Zach (18).

5) Heremus in bullis pontificiis nominatus in lingua Hungarica Heremitam significat, et revera hoc nomine duo quoque praedia inveniuntur hodie circa Nagyolaszi.

6) Ille abbas S. Benedicti Conradus, de cujus vita libidinosa anno 1366 abbates finitimi audiebantur, est abbas de Garáb in comitatu Sirmiensi, qui pagus nonnullis tantum stadiis distat a Francavilla. Ceteri quoque abbates interrogati hac de regione sunt: abbas de Szentgergely (comitatus Sirmiensis), de Rudina (com. de Posega) et de Zselisszentjakob (com. Simiginensis). Quomodo ergo hac de re abbas quidem gallicus explicationem quidem dare potuisset?

7) Denique etiam bulla Lucii P. III. inter duas abbatias, sine dubio Hungaricas (Garáb et Bozók) enumerat Francamvillam (20).

Ex quo patet, Francamvillam Praemonstratensem et partem provinciae Hungaricae fuisse (21).

Szombathely.

Ant. Tib. HORVATH, O. Praem.

(14) ORTVAY, *Geographia ecclesiastica Hungariae*, I, 279.

(15) Monumenta Vaticana.

(16) Századok, 1916: Auner Mihály, Latinus.

(17) et (18) *Pannonhalmi Rendtörténet*, XII. B, 431.

(19) Csánki, Magyarország tört. földrajza, II, 252.

(20) HUGO, *Ann. Praem.*, II, col. CCCCXIV.

(21) Ut jam Dr. Servatius Lairuelz in *Optica Regularium*, p. 417 ad circariam Hungariae meminit, in capitulo generali a. 1294 plures patres abbates hujus circariae mutati fuere, et assignata fuit paternitas ecclesiarum circariae praedictae 5 abbatibus (de Monte Sion, Lucensi, Zábrdovicensi, Lithomyslensi et Gradicensi). Sed Francavilla non nominatur.